

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

CXVL.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

A. 1567.

PARS TERTIA.

277

stica negotia difficiliora mihi videantur, & sic amō illa ipsa Ecclesiastica munera, ut literæ sine illis minus gaudii mihi adferant. Propterea, quantum licet, huc animum intendo, ut operam docendi & in Ecclesia & in schola obire desiderem. Forsitan pecco in hac re, idēd monitus non manebo in hac opinione. Fiat, quod divina voluntas super me decrevit. Ah ignoscat mihi tua pietas, quod diutius eam meis ineptiis detineo. Saluret meo nomine fratres omnes & ipsa in Domino Jesu bene valeat, cum honestissima conjugē sua & liberis. Utinam aliquando animi nostri observantia, qua erga t. h. propendeo, declarandi se nobis offerret occasio. Totum me vestrum esse sciatis. Datum Francofurti ad Mœnum, ultimo Decembris, s. pridie Calendas Januarii, anno 1567.

Tuam pietatem reverenter colens

Jeremias Homberg, Fridslariensis,
 Francofurdanæ scholæ ad Mœnum Gu-
 bernator.

CXVI

Salutem in Christo Salvatore.

Misi per mercatorem quendam libellum meum, scriptum de personali duarum naturarum in Christo unione, ut illum una cum litteris tibi exhiberet. Et existimo, in proximis vestris nundinis libellum & literas tibi exhibuisse eum, cui negotium hoc commiseram. Ex literis autem meis te intellexisse non dubito, quo consilio & tuam & Ecclesiæ vestræ censuram de isto meo libello mihi perscribi petierim. Et ad proximas vernas Francofurtenses nundinas expectaturus eram tuum responsum. Accidit autem, quod vicinus quidam nobilis filium suum ad vestram Scholam hisce diebus missurus erat, cumque hac occasione existimarem, me & cito & certo (alias enim literæ sæpe intercidunt) responsum à te accipere posse: judicavi occasionem illam non esse negligendam. Oro itaque diligenter, ut huic ministro nobilis ab Assenburg, qui has tibi litteras exhibebit, tradas responsum: hac enim ratione certo ad me perferetur. Ut autem diligenter & libere tuum mihi iudicium rescribas, etiam atque etiam oro, sicut in prioribus litteris illud è te petii. Potro petieram à te, ut libellum cum adjunctis litteris Tubingam mitteres ad D. Jacobum Andream. Quod si illud jam factum est, injunctum est huic homini, ut Tubingam excurrat, petiturus responsum. Sin vero nondum potuisses ante nuncii hujus adventum libellum mittere Tubingam, frustra iter illud susciperet. Dicatur igitur huic nuncio, an eundem sit ipsi Tubingam pro afferendo responso: an vero non? Hæc

Gg 3

raptim

caprim scripsi in arce nobilis prope Brunsvigam. Obiter verò hoc addam de Prussia. Magna & inopinata accidit mutatio in negotio Osiandrisi. Ac Princeps Doctorem Mörlinum & me quoque honorificis litteris vocavit ad restaurandas Ecclesias. Sed ab Ecclesia Brunsvicensi non possumus dimissionem impetrare. DEUS deliberationes illas gubernet ad nominis sui gloriam & Ecclesie ædificationem. D. Mörlinus amanter te salutari jubet. Vale in Christo & hanc respondendi occasionem non negligas. 3. Januarii, 1567.

De Tubingensi itinere nuncius tuam indicationem sequetur.

Martinus Kemnitius.

CXVII.

Salutem à Filio DEI, Immanuele nostro, quem precor, ut faciat, ut hic Novus annus tibi & toti Ecclesie suæ sit sælix, tranquillus & salutaris. Reverende vir, amice colende. Labores visitationis Ecclesiarum in Norico, qui propter gangrænam vicini Palatinatus Ambergensis etiam hyberno tempore suscepti sunt: Deinde tabellatorum ad vos euntium inopia sunt in causa, quod tanto intervallo nihil literarum ad te dederim. Beneficiorum tuorum ac humanitatis Argentinæ mihi exhibitæ memoria apud me non extinguitur. Hanc excusationem ut apud te pondus habere sinas, rogo. Gratulationem tuam de novo matrimonio, & piam præcationem ad filium DEI pro sælicitate, inter summa officia refero. Pro *πατρὶδι* gratiam habeo. Dedit mihi Dominus sociam vitæ moribus placidis, educatam in timore Dei, pietatis studiosam, & in œconomia diligentem. Clementer igitur nostra vota exaudivit. Status hujus Ecclesie mediocris est. Vicinum virus Calvinianum arcemus, quantum possumus. M. Andreas Pancratius Ambergæ pulsus est ab Electore Pal, eo quod veritati contra Calvinistas patrocinetur. Cæteris concionatoribus Ambergæ recte sentientibus interdictum est publico ministerio docendi. Socero meo, Doctori Simoni Musæo, superintendenti Gerano, indicatum est, me apud te gratia valere: petit igitur, ut apud te pro ipso intercedam. Filium majorem natu, Joannem, ad studia Argentinam mittere cupit: Quia verò ob numerosam sobolem, in filium non possit ea uti liberalitate, quam optaret, à vobis petit officiose, ut tuo favore & autoritate Joannes filius in eorum numerum, qui beneficio & liberalitate senatus Argentinensis apud vos in studiis aluntur, recipiatur. Hoc si impetraverimus, non solum socerum meum, qui tuam amicitiam propter doctrinæ puritatem diu expeti-